

II f
539

ORATIO SEXTA:

DE RATIONE;

NVM ILLA SO-
LIS HOMINIBVS, AN
VERO ETIAM BRVTIS ANI-
MANTIBVS ATTRIBV-
ENDA SIT.

Quam,

*Ex consensu & permissone Facul-
tatis Philosophicae,*

In Collegio Declamatorio,

M. BALTHASARI OSTEN,
Vratisl. Siles.

Habebat

AMBROSIVS GERTNERVS, Vratisl.

Die 27. Februarij, stylo veteri.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIA

WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

ANNO M. D.C.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

(X2000397)



MAGNIFICIS,
NOBILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS, PRUDENTIA ET AUCTORI-
tate insigni praestantissimis Viris:

Dn. ABRAHAMO JENCKVITZ, Dn. in
Goldschmid, Jaxau, Kurtzsch, Baum-
garten, &c. Ducatus & Reipub.
Vratisl. Praefecto.

Dn. JOHANNI SCHVAB, à Buchen in Vr-
cristen, Ecclesiarum & Scholarum Prae-
sidi dignissimo.

Dn. GODFRIDO SCHILLING, in Hartlieb.

Dn. D. PETRO SPREMBERGERO, Syndico
Vratisl. ejusq; Ducatus Scribe
provinciali.

Dn. SEBALDO GEBHARDO, Subnotario
Vratisl. ejusq; Ducatus provincialis Sub-
scribe praestantissimo, Propatri
suo dilecto.

Magnis literarum & literatorum Patronis, Dominis & Fautoribus
suis, perpetuo honoris cultu observandis,

consecras

&

offert

AMBROSIVS GERTNERVS, Vratisl.

DURIMA EQVIDEM
sunt, Moderator Collegij nostri dignissime, Colle-
ga humanissimi, vosq; cæteri auditores exopta-
tissimi, quæ nobilissima illa scientia, quæ in sola
rerum contemplatione, tanquam fine suo ultimo acquiescit,
Physicam accipite, consideranda proponit. Et sanè, si aperi-
tis, quod ajunt, oculus ea intueor, non solummodò scitu & co-
gnitione necessaria ac digna animadverto: Sed & tanta esse
se, ut nisi Mortales illorum notitiam sibi compara verint, per-
fectionem suam affecuti audire haud ullâ ratione queant, des-
prehendo. Atque ut vice hac reliqua omnia sicco pede præ-
teream, & plusquam Pythagorico silentio involvam, agite,
Auditores optimi, Rationem, quâ omnes nos summus ille
mundi hujus Architectus donavit, diligentissimè perpenda-
mus. Adsit aliquis, adsit, inquam, qui scitu non necessaria nos
tractare judicet! Prodeat, obsecro, qui materiam hanc consi-
deratione indignam esse, affirmare vel velit, vel possit. Ne-
minem certè, nisi forsitan in Insulis nuper inventis tales occur-
rant, reperias. Omnes enim, qui modò ratione non destitu-
untur, Ratione nihil, ut non dicam in homine, sed nec in omni
cælo ac terrâ, reperiri divinius, unanimi consensu affirmant,
unoq; ore loquuntur. Imò, uti probè Optimus Latinitatis Pa-
rens Cicero animadvertit, ea ipsa ubi adolevit, perfectionemq;
suam affecuta est, sapientiæ nomine non immeritò inditari
valet. Et ut præstantiam ejus magis perspectam habeas,
considera, quæso, an in toto hoc Universo aliud quippiam oc-
currat, quod Mortalium ac Brutorum differentiam exactius
constituat, nosq; ab eorum naturâ differre ostendat, ac Ra-
tio &

Ratione
nil præ-
stantius.
Cicero l.
x. de Leg.

Ratio & Oratio. Nihil, vel apud Philosophos, Naturæ in-
vestigatores diligentissimos, aliud inveniunt: nihil aliud Poetæ
noverunt: nihil etiam aliud disertissimi Oratores proferre
Cic. lib. 1. potuerunt. In his Latina Syren Cicero acquiescit: qui
Offic. Rationem & Orationem societatis humanæ vinculum appello
litare non dubitavit; Illud insuper addens, nulla alia re longio-
us nos à ferarum natura, quam prædictis, abesse. Quæ cum
ita sint, agite, Rationem, divinam scilicet auræ particulam,
contemplabimur. Ne quis autem in eam descendat sententi-
am, me de omnibus, quæ de hac splendidissime dici possunt,
dicturum, cum nec præsens occasio, nec locus hic ferat: sed in
id omni diligentia incumbam, ut, quid de Quæstione illa, diu
jam Philosophorum in scholis agitata: An solus Homo,
præ cæteris animantibus, rationis particeps? sentiendum
nobis sit, certò cognitum habere possimus. Quod dum
facio, vos me benevolentia vestra, quod vos facturos confido,
sublevate. Faciam profecto, ut, cum dicendi facundia destitue-
ar, brevitate gratiam vestram reportare queam.

Tolet. lib.
3 de Anim.
c. 3. quæst. 7

Picol. lib.
3. de Men.
Hum. c. 5.

Ratio tan-
tum homi-
nibus cõ-
petit.

Ut ergò à definitione orationis telam exordiar, Philo-
sophorum in scholis Rationem hunc in modum definiri video:
quod suprema sit animæ vis atque facultas, cujus ope ac bene-
ficio ex uno aliud elicimus, atque ex uno ad aliud progredi-
mur. Hanc Animæ potentiam, hoc ipso nomine indigitare
consueverunt: vel quia mutua quædam plurium relatio est, ex
qua aliud quiddam deducere: vel quia per eam alterius cau-
sam, rationemq; afferre solemus. Cui vero vim hanc, quam
Rationem appellant, citra reprehensionem attribues? Va-
riæ variorum sunt opiniones. Ego, ut, quod sentio, candidè &
apertè

apertè proferam, solum *Hominem* inter omnia animalia, hisce
in terris *videntia*, *ratiocinari* sentio: *Solius Hominis* hoc officium
esse statuo: imò cum eodem *reciprocari* affirmo. Age
enim *oculorum tuorum aciem* in omnes mundi angulos con-
verte, inquire diligentia, qua potes, maxima, num, hominibus
exceptis, rationale aliquod animal invenire possis. Vix ullum
dabitur, præter id, quod in res terrenas omnes dominium quod-
dam obtinet, *Homo*. Reliqua enim, vel supra *Rationem*
constituta sunt, qua in classe separatæ mentes, si de intelligen-
tia, uti vocantur, locum obtinuerunt: vel infra eandem sunt,
quod de jumentis & feris, quo tandem nomine insigniantur,
ut verum, sic longè verissimum est. Fatentur hoc ipsum e-
munctioris *naris Philosophi*: Fatentur omnes, qui non, vel
insania, vel id generis alijs animi morbis correpti sunt. Et ne
dixisse solum videar, prodeat princeps *Philosophorum Peripateticorum*
Aristoteles. Edissere, quæso, quæ tua mens sit,
quæ de sententia: Nihil, inquit, brutis persuaderi po-
test, quoniam ratione destituuntur. Et hoc ipsum,
in eo, quem de *Memoria & Reminiscencia* scripsit libro, pla-
num reddere voluit, *Nulla animalia, hominem si exceperis, re-*
miniscencia prædita esse, & in mortalibus solis ratiocinatio-
nem & discursum, si de syllogismum, reperiri apertè pronunti-
avit. Hujus vestigijs alij quoq; magni nominis *Philosophi* in-
sistunt. En hoc doctissimus *Scaliger* affirmat: En tibi *Phi-*
losophos excellentissimos alios: Picolomineum, Toletum, Go-
clenium, Foxium, aliosq; numero plurimos, qui pleno gradu no-
stram eunt in sententiam.

Verùm, *Auditores benevoli, cum autoritates, licet sumo*

A 3

morum

Arist. lib. 3.
de Anima.
textu 157.
Arist. l. de
Mem. c. 4.

Exerc. 37.
sect. 5.
l. supr. d.
l. supr. d.
lib. 7 disp.
Phys. disp.
31. l. 5. c. 2.

Ratio I.
pro dictis.

Luth. T. 1.
p. 462. T.
3. p. 165.
T. 4. p. 20.

Pf. 19. v. 8.

Pfal. 32.

morum Philosophorum, causa nostra, fidem, vel nullam plane,
vel certe exiguam, conciliare posse videantur; Rationes au-
tem plus roboris obtineant; illas, & firmas quidem ac immo-
tas, reiq; huic patrocinium prestare valentes, in medium pro-
feram: Vos modo pari benevolentia, qua prae memorata, percipere dignemini. Solis ego sacrosanctae scripturae enuntia-
tis hunc honorem deferre didici, ut quodcunque his consentaneum est, ambabus manibus amplectar: quicquid vero ab iisdem alienum, pari facilitate, qua credendum mihi obtruditur, rejiciam. Sola enim sacrosancta patefacti verbi oracula Lyodii lapidis instar sunt, ad quae omnia, quae proferuntur, examinanda. Haec sunt illa certissima regula: sunt Canon ille infallibilis, per quem, nisi scripta, quae à nobis proficiuntur, approbentur, ne tanti momenti judicanda sunt. Haec sunt testimonium fidele, liceat mihi cum Psalmista loqui, quod parvulis sapientiam praestat. Quam ergo hac in re, in cuius tractatione per praesens laboramus, sudamus, sapientiam praestat? Quid de Ratione docet? Quid? An brutis animalibus eam attribuit? Nemo equidem, qui vel frontis aliquid habuerit, affirmabit, quippe cum sine insigni falsi crimine pronuntiari haud valeat. Evolve Scriptorum Sanctissimorum loculos: volve, revolve, universos ac singulos sacri codicis libros, & non nisi Hominibus, Intellectum & Mentem, sive Rationem attribuendam: bestiis vero ex toto denegandam esse deprehendes. Aspice Regij Prophetae Odas, & Spiritum Domini Mulo & Equo Intelligentiam seu Rationem denegare percipies. Ita enim cecinit: Nolite fieri, sicut equus

equus & Mulus, in quibus non est Intellectus. Dic,
 queso, an quicquam clarius, manifestius, ac apertius dici possit?
 Negat, sanorum omnium iudicio, solem in meridie lucere; te-
 nebras pro clarissima luce agnoscit, quisquis ex aperto hoc sana-
 tissimi Vatis pronuntiato patrocinium causa nostrae accedere
 inficias ire non erubescit. Rectè proinde, & quid rectè di-
 co. imò rectissime bestiis Rationem omnino detrahimus, & so-
 li homini, nobilissimæ creaturæ, assignamus. Plura in hanc
 sententiam occurrunt, ut ille, qui in studio Theologico non pla-
 nè hospes est, cognitum habet. Ecclesiasticus hominis nas-
 turam decantans, scientia intelligente eum impletum esse, lucu-
 lenter ostendit. Cap. 17.

Nec solum divinarum literarum autoritate fretus,
 quæ tamen omni exceptione major est, hoc asserere non dubi-
 to, sed & rationum momenta, sobria è Philosophia petita,
 in medium proferre possum. Extra omnem dubitationis ale-
 am positum est, omnia quæcunque fieri solent, ob certum ali-
 quem finem fieri: quippe cum Deus & Natura semper id,
 quod optimum est, spectent, nec quicquam temerè aut frustra
 faciant, uti gravissima Philosophi enuntiata & argumenta
 ad oculos demonstrant, aliudè maximi nominis Philosophi lu-
 culentissime attestantur. Imò hoc ipsum quotidiana experien-
 tia satis superq; comprobatur. Contèplemur, si placet, ea, quæ sensi-
 bus nostris exposita obversantur. Cur volatilia cæli alas acce-
 perunt? absit, ut hoc nullius finis gratia factū arbitremur, cum
 ad volandū datas esse videamus. Nec hominib. linguas frustra
 obtigisse arbitror, cum, ut ea, quæ mente concepimus, cum aliis
 communicare

Ratio 2.

Lib. 2. de
gen. & cor.
c. 10.

Lib. 2.
Phys. Tol.
in Eund.
Pacius in
Eund.

Arist lib.
de partib;
anim. c. II.
Plato in
Timæo,
Phæd. Phi-
leb. & Pol-
itico &c.

Ratio 3.

communicare valeamus, eas acceperimus. Nec Rationem
temerè nobis Vniuersi huius opifex largitus est, sed ut res, cum
in natura existentes, tum potissimum æternas atque cælestes
contemplemur. Atque hinc est, quod sacrarum literarum monu-
menta passim nos ad intuemdum cælum, illius vè naturam &
formam diligentissimè pensitandam, hortantur, atq; exuscia-
tant. Hanc ipsam ob causam facies nostra cælum versus
erecta est. Quod præter cæteros unus ille de Sapientum Græ-
ciæ numero, Thales Milesius, probè intellexit, qui rogatus,
quam ob causam homines oculos accepissent, ut cælum, quod
supra nos est, intuerentur, gravissimè & verissimè respondit.
Et optimus Poeta Ovidius, idem in versibus suis exposuit,
dum ita cecinit,

Thales Miles
Lib. 1. Me-
tamorph.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terras,
Os homini sublime dedit, cælumq; tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Fac periculum, & num finem hunc Rationis brutis etiam
accommodare possis, perpende. Bardus est, qui eam in animo
suo alit sententiam, bruta animantia, non minus ac homines,
ad rerum profundissimè latentium investigationem, & consi-
derationem condita esse. Stultus, & rationis inops merito
habetur, qui bestias, ad diuinarum, cælestiumq; rerum intelli-
gentiam condita esse pronuntiat. Quapropter has ipsas
omni prorsus ratione, cum finis ipsis nullo modo quadret, de-
stitui, plenis buccis, ad versus aliorum somnia, proferre perga-
mus.

Ratio 3.

Sunt hæc, quæ protuli, tam firma, ut ad versus hostium
insultus

insultus ac impetus immota permanere possint. Verum ut magis magisque cause meae faueatis, tuendamque sentiatis, alia, ex quibus non minus patrocinijs eidem accedit, vobis pensitanda proponam: Vos modo, quod facitis, benevolentiae vestrae auro me sublevare, pergite. Fatentur omnium Philosophorum gymnasia, actum reflexum perpetuum atque individuum Rationis comitem esse, cumque hac eundem semper attribui. Fatetur hoc ipsum lumen illud doctorum Virorum, Julius Caesar Scaliger, dum Rationem animae facultatem, quae se ab effectibus ad investigationem causarum, & ab his, ad ea, quorum cause discutuntur, pronuntiauit. Quid ago? imò nec ullus, qui contra sentiat, reperitur. Actum autem reflexum illum dicimus, quo Intellectus noster actiones, à se profectas, agnoscit, atque de illis ipsis iudicium instituit: qui an brutis attribui ullo modo possit, ipsi deliberate. Cur affirmandum sit, non video, nisi forsitan animalia ad divinam imaginem, ad quam hominem primitus creatum no vimus, condita esse, somniare velimus. Prodeat aliquis, persuadeat nobis iteratam cognitionem in illis aliquando apparuisse. Adsit, qui illa de factis suis, recte ne an mala sint, iudicare asseveret. Saniorum certe Philosophorum nullus hoc statuit. Miranda, fateor, sunt gallinarum opera: plumas suas, quò calorem internum, uti Physicorum schola docet, melius in ova transfundere valeant, quandoque deponunt. Deprehendas in iisdem affectus, amoris ac benevolentiae plenissimos. Nam eo ipso tempore, quo ovis incubant, jamque pullorum exclusioni intentae sunt, voces suas, quas iucundissimas, suavisimasque paulo ante ediderant, immutant, & lamentabili planè modo glocitare incipiunt. Verum de his nil

B

gallinae

Exer. 307.
sect. 5.

Actus reflexus
quid?

Goete lib.
6 disp. 33.
Calman.
in Pynch.
quæst. 3.
pag. 9.

Gallinae judicant. Excludunt pullos suos, at, an pulchri, an de-
 formes, quotque numero sint, nulla earum novit. Falsum pro-
 inde, imò falsissimum est, bruta animalia de Intellectu, quem
 hominum generi diuina Prouidentia attributum voluit, partici-
 cipare. Et quærerem ego ex contrariæ sententiæ Patrono,
 qui fiat, quod illa nunquam agendi modum variare soleant, sed
 eodem semper opera sua moliantur? Experientiam testem
 advoco, quæ Formicas $\omega\sigma\acute{\alpha}\nu\tau$ & diuerticula multorum anfra-
 ctuum & circumgyrationum extruere: frumentum, messis
 tempore, in ea importare: æstate singulas, aut binas, vel ter-
 nas, ad grana legenda exire: & onera proportionem corpuscu-
 lorum suorum excedentia, mor su ingerere, e videnter satis de-
 monstrat. Idem in apibus etiam conspicitur. Hæ enim uno
 planè modo opus suum conficiunt: favos è floribus construunt,
 ceram arborum è lachrima effingunt: mella è rore aeris mas-
 tutinis horis, sub auroram imprimis, colligunt, & in alvearia
 uterculis suis invehunt. Quid dicam de araneis, quos suas teo-
 las semper modo eodem texere videmus? Quid a viculas, in li-
 bero aere, volitantes referam, quas in nidorum suorum con-
 structione $\omega\sigma\acute{\alpha}\nu\tau$, modo non variato agere, qui vis, modo ocu-
 lis non orbatus sit, deprehendit. Quæ omnia à naturalium
 agentium natura & proprietate, quæ opus suum variant,
 & dissimilem in agendo modum observant, longissimè rece-
 dunt, & tacitè quasi, sententiam nostram nil quicquam à
 Veritatis scopo aberrare, sed recto tramite incedere, innu-
 unt.

Ratio 4. Quod si nondum Brutis animantibus Rationem adis-
 mendam, soliq; hominum generi attribuendam esse, censes,
 illud,

Bruta sem-
 per eodem
 modo agunt.

Arist. lib.
 5. hist. ani.
 cap. 22.
 Varro l. 3.
 de re Rust.

illud, quæso, diligentissimè apud animum tuum cogita, quanta
nimirum sciendi atque cognoscendi cupiditas & amor in na-
tura, quæ intelligenti prædita est, conspiciatur. Hoc ipsum
est, quod Oceanus ille eruditionis ac eloquentiæ, Cicero, pro-
nuntiare nõ dubitavit. Tantus, inquit, est innatus in nobis
cognitionis amor & sciētia, ut nemo dubitare possit,
quin ad res eas hominũ natura nullo emolumēto in-
vitata rapiatur. Et quis non nostrum ducitur, & ad cognitio-
nis ac scientiæ cupiditatē trahitur? Omnes in ea excellere
pulchrũ putamus; labi vero, errare, nescire, decipi, &
malũ, & turpe ducimus. Adsint pueri, q̄ pedibus insistere
& incedere possunt; hi omnia magna cum curiositate sciscio-
tantur, imò non minis, non flagris, non verberibus, à rebus per-
quirendis considerandis vè ullo modo absterreri eos posse vis-
deas. Acceptarum plagarum obliti, rursum requirere
incipiunt; atque sic rerum cognitione se maximè teneri ostens-
dunt. Neque scire tantum desiderant, sed ea ipsa etiam,
quorum noticiam sibi compararunt, cum aliis communicant,
& si aliis enarrare possint, summoperè letantur. Imò
vita quotidiana testis est, illos pompa, ludis, & id genus
aliis spectaculis tantoperè delectari, ut famem potius, ac si-
tim tolerare atque perferre velint, quam illis abesse. Sed
ne pueros tantum, qui puerilibus intenti sunt, contemple-
mur, agite, ad eos, qui proVectioris sunt ætatis, nos
convertamus. Qui doctrinarum & scientiarum amo-
re incenduntur, nã illi omnibus voluptatibus valedi-
cunt, rei familiaris curam abjiciunt valetudinis rationem,

In hominibus
solis
amor sci-
endi est.

Lib. 4. & 5.
de fin.

Lib. 2.
Officiorũ



Lib. 4. de
reb. gest.
Alph.

Aelian. de
var. hist.

Laert. lib.
6 cap. 2.
Aelian. lib.
10 var.
dist.

vel exiguam, vel planè nullam habent, cibo, potu, somno abstin-
nent, omniaq; cognitione & sciendi cupiditate capti, patiuntur.
Quod si hujus rei exempla proferre animus mihi esset, dies me
deficeret. De Alphonso Rege, Panormitanus, qui res ab eo
gestas descripsit, prodidit, eum, cum aliquando de rerum preci-
osissimarum jactura sermo haberetur, per sanctè affirmasse:
malle sese, gemmas suas, uniones, & margaritas, quas habuit
plurimas, & in omnem terrarum orbè diffamatissimas, quam
libros qualescunq;, perditum iri. An non hic sciendi cupidi-
tas? an non cognoscendi desiderium in Rege hoc apparet?
Quid Solonem, sapientissimum illum hominem, referam?
Hic, cum adolescentem in convivio carmen saphicum canere
audiisset, miram ex eo delectationem percepit, imò ab adole-
scente illo, qui nepos ejus ex fratre erat, petijt, ut se cantionem
illam doceret. Mirati sunt non pauci eorum, qui praesentes
aderant: & sanè, cur mirarentur, causam gravissimam habue-
runt. Vir erat sapiens & doctus, & tamen à puero discere
voluit. Quarentibus verò nonnullis, cur tantopere scire deside-
raret, ut, ubi cantilenam hanc memoria mea tenuero, vita hac
excedam, sapienter respondit. Qua eloquentia, discendi cupi-
ditatem, qua Diogenes flagrauit, edisseram? Hic Athenas
profectus, ad Antisthenem sese conferebat, quem etiam, quan-
tum vis ab eo non rarò pelleretur, rursus adiit, & harere non
destitit: adeo ut cum aliquando, se baculo eum excepturum, si
rediret, (nullum enim discipulum recipiebat) minitaretur An-
tisthenes, ultrò caput suum baculo subjecerit, cæde, inquiens, si
vis: nullum profectò baculum invenies tam durum, quo me
abs te atigas, dum aliquid dixeris. Quis, obsecro, insigne hoc
adamat e

*adamat e scientia exemplum esse, inficias ire potest? Et no-
 tum vobis esse arbitror, qua de Pomponio literarum monu-
 mentis prodita sunt. Hic apud Julianum ait: ego discendi
 cupiditate, quam solam vitam optimam judico, in septuagesi-
 mum octavum annum aetatis meae duxi, memor illius Solonis
 sententiae, qui dixisse fertur: Et si alterum pedem in sepulchro
 haberem, adhuc ediscere quaedam vellem. Lubens praetereo
 Aesculapium & Hippocratem, celebres illos in arte Medica
 viros, qui tanto discendi ac sciendi studio flagrarunt, ut non
 puduerit eos retrimenta gustare, ut morbi naturam persens-
 tiscerent. Vnde eos *εναποφάγεις* Aristophanes appellat a vit.
 Nihil dicam de Aristotele, Plinio, Euclide & alijs, quos sum-
 ma sciendi cupiditate fuisse accensos, jam dudum cognovistis.
 Neque in his solummodo, qui literarum studio accensi sunt, a-
 mor sciendi deprehenditur, sed & illos, qui infima sorte con-
 tenti esse coguntur, nec ullam spem de rebus gerendis reliquam
 habent, imò opifices, qui sedentaria tractant, historias cogno-
 scere videmus. Nunquam non illi res gestas audire & le-
 gere sat agunt, ut ad oculus experientia ostendit. Hæc ni-
 mirum in illis, qui de Intellectu seu Ratione participarunt, con-
 spicere licet. Numnè & bruta cognitionis amore ducun-
 tur? Nihil profectò, nihil talium in ipsis unquam depre-
 hensum est. Quid audire cupiunt? Nihil. Quid spectare? id
 quod dixi: Quid cognoscere avent? Nihil prorsus. Vita
 eorum inertissima est, nec ulla alia re, quam quod pabulum
 querant, delectantur. Malè proinde, imò pessimè faci-
 unt, qui ullo rationis munere bruta perfungi somni-
 ant.*

Lib. 40.
 Pandect.
 de fidei
 commiss.
 Libert.
 Eras. Rot.
 in Adagis

Cæl. Ros
 dig. lib 29.
 cap 13 lib.
 12 cap. 16.

Laert in
 Vita Arist.
 In Præfat.
 partis 1.
 Gellius l.
 6, cap. 106

Bruta eand
 tum pabu-
 lum que-
 runt.

B 3

Quod

Ratio:

Quod si plura pro sententia nostra proferenda sunt, ad
voco in testimonium Imperatores, & Legum consultos præ-
clarissimos. Equidem si D. Iustiniani sacratissimi principis in-
stitutiones, seu elementa, ut Iureconsulti appellant, inspicio,
in iisdem brutis Rationem denegari video. In fronte enim
tituli noni animalia ratione carentia nominantur: & ibi-
dem: Nec enim potest animal injuriam fecisse dici,
quod sensu caret. Et alibi: Prætor animal pauperiem
fecisse ait. Pauperies est damnum sine injuria faci-
entis datum, nec enim potest animal injuriam fecisse,
quod sensu caret. Ita nimirum Deo ipsi, qui per scripturam
nobiscum agit: ita Philosophis, qui firmis ac immotis argu-
mentis negativam tuentur sententiam: ita Imperatoribus
bellum indicunt, qui brutorum causam agunt, & ratione præ-
dita esse, multis vocibus, forsitan etiam multa cum molestia, cla-
mitare consueverunt.

**Aburdum
ex senten-
tia quæ
brutis ra-
tionem
tribuit.**

**Scalig ex-
ercit. 307.
lect. 26.**

Et, si paulò diligentius sub disquisitionis incudem revo-
cetur, ad versariorum sententia, absurda non pauca, tanquam
ex fonte scaturire animadvertemus. Vnum, si placet, accipio
te. Dicant apertè & candidè, anne feris summam felicia-
tatem, summig. boni consecutionem attribuendam esse statu-
ant. Affirmativam ire in sententiam coguntur, ni illud: In-
tellectum & Mentem ad beatitudinem datam esse, negare
velint: quod tamen ne tantillum à veritatis scopo abest.
Cogitet vero qui cogitare potest, judicent quibus vel se-
muncia iudicii superest, an quicquam absurdius proferri
possit.

Sed

Sed ne inauditum iudicentur absurdissima illius sententia
 Patroni, quae fundamenta, quae firmamenta habeant, proferre
 patiamur. Non me latet multos superioribus aetatibus, brutis
 rationem siue mentem denegandam non esse, statuisse. En
 tibi Porphyrium: hic omnia animalia, quae sensu & memoria
 praedita sunt, ratione quoque & oratione non destitui, professus
 est: imò & Melampum, Appollonium Tyandum, Tiresiam, &
 Thaletem voces & sermones eorum dijudicare & intelligere
 potuisse, scriptum reliquit. Nec ab his Anaxagora, & Py-
 thagora dogma abhorruit. Nam & ille bruta animalia, quo-
 tandem nomine veniant, ratione pollere, hic rationales animas
 esse, pronuntiavit. Concinit his & Plutarchus ipse. Nam
 in dialogo quodam, Sophistam quendam, cui Grylli nomen erat,
 cum Ulyse colloquentem, eosque, qui cetera animalia, homine
 solo excepto, ratione carere dicunt, luculenta oratione, redar-
 guentem introducit. Nec desunt, qui his, disertissimum Orato-
 rem, Ciceronem, adjungendum iudicent. Hic enim, Formi-
 cas, non sensu solum, sed & mente, ratione & memoria praedi-
 ta esse, fassus est. Nec hos tantum erronea illa sententia Patro-
 nos invenit, sed & alii produci valent. En tibi Laurentium
 Vallam, qui proprios Grammaticae fines transcendens, audacter
 se Philosophis opposuit, & bruta rationem & discursum habere
 affirmavit. Subsidium praestat etiam Franciscus Val-
 lasius, qui rationale, & quod huic contrarium est, irratio-
 nale, bruti ac hominis differentiam constituere nega-
 vit, & brutis omnibus rationem & intellectum adscribi
 voluit. Forsan plures sunt, quos, ut ingenuè fatear,
 ego ignoro, illi verò plenis buccis recensere possunt.
 Poterant

Qui statu-
 erant brutis
 inesse
 rationem.

Lib. 3. de
 Abstinent.

Plutarch.
 lib. 5. de
 placitis
 Phil. c. 20.

Plut. in
 Gryllo.
 de industr.
 animal.

De Natur.
 Deor.

In Dial.
 cap. 9.
 Tolet. lib.
 3. de anim.
 c. 3. quest 7.
 De S. Phi-
 los. cap.
 38. Job.

Poterant, verò homines isti provinciam illam negligere,
& vel sibi parcere, cum hac via & ratione, nihil minus, quam
id, de quo erant solliciti, obtinere queant. Auctoritates hæ
sunt, & quidem nude, quas pari facilitate, qua offeruntur,
reycere possum. Rationes, quibus ceu fundamento, sen-
tentia ipsorum, quam erroneam, quoad defendatur, agnosci-
mus, innixa sit, si possunt, proferre non gra ventur.

Argumen-
ta Vallesij
In S. Phi-
los. l. d.

Examen
argumen-
torum.

Luc. Ofi-
and. in 38.
cap. Iob.

Iob. 39.

Sed & de his gloriari audent. Atque ut ab eo, quem ult-
timo loco accepistis initium faciam: Franciscus Vallesius,
proter via accusat eos, qui brutis rationem denegant, cum
scripturæ sanctæ hanc ipsam illis attribuunt. Et ne dixis-
se, sed probasse videatur, 38. caput libri Iob producit, ubi hæc
se legisse verba observavit: Quis posuit in viscerib. ho-
minis sapientiã, aut quis dedit gallo intelligentiã? Sed
benè habet, Auditores. Quid dicat Vallesius, probè percipio, quid
probet, planè non video. Nihil hinc præsidij habere potest: nihil
patrocinijs sententiæ ejus accedit. Quod si enim Hebræam
veritatem consulo, nec iota, nec apicem ullū, de Gallo invenio.
Quis dat in visceribus sapientiam? quis dat cogitatio-
nes intelligentes? legitur. Nec quicquam aliud, quam, num
homini unquam talis sapientia continget, ut possit cælum &
terram administrare, loco præsentis disquiritur. Ita nimirum
prava loci versione Vallesius deceptus, alios quoque decipere
non erubescit. Vera esse quæ protuli ex sequenti capite
clarum est. Ibi enim Univerſi hujus moderator Struthionem
mente & intelligentia privat. Privavit enim eam Deus sa-
pientia, nec dedit illi intelligentiam, eo loci scriptum est.
Quod si negari hoc posse autumas, scripturam contraria docere
dicas,

dicat, quod insigni blasphemia non caret, vel conciliationem
dictorum affer. En tibi fundamentum pro brutorum cau-
sa, ita scilicet agunt, ut falsa pro veris jactitent, & si veri-
tate destituantur, quid falsis obtinere possint, periculum facio-
ant.

Reliqua, quæ fabricavit, argumenta, ejusdem tenoris
sunt, nec ullam probandi vim obtinent. Nam quod sensum Pag. 432.
cum ratione conjunctum esse, ex Hippocratis sententia affert,
qui dicit: qui parte corporis dolentes, dolorem non
sentiunt, iis mens ægrotat: & hinc rationem cum brutis
communem esse, evincere conatur, quippe quæ sensu non care-
ant, nihil efficit. Enunciati Hippocratici veritas prius in-
vestiganda erat. Cum verò Hippocrates acutus habeatur,
acutum sententiæ ejus examinatore ad vocemus. Adsis
Scaliger, adsis inquam, & quid respondere velis, paucis edoce.
Mentem non ægrotare, cum dolorem, quo cruciamur, non sen- Exerc. 307
sect. 5.
timus, apertè contra Hippocratem scripsit, sed quia ad locum
dolentem, subsidii causa, distracti spiritus non representantur
imaginationi. Adjungamus huic, si placet, quem Marpur- Gocl. in
advers.
Scalig. ex
67. sect. 1.
& 77. sect.
2 & 4.
gum audit, Philosophum: is, ut alia, sic hæc quoque diligentissi-
mè expendit. Fatetur equidem, Hippocratis aphorismo,
quod in iis, qui corporis aliqua parte dolent, dolorem tamen
non sentiunt, $\psi\upsilon\omega\mu\alpha$ laboret, contineri. At verò voce hæc
Intellectum seu Mentem indigitari inficiatur. Notatur e-
nim judicium, de sensatione, quæ sensus communis opus est,
qui illud ipsum, quod exteriores sensus patiuntur & percipi-
unt, sentit, atque discernere solet. Nec quicquam aliud
Medicus ille excellentissimus indicare voluit, quam cerebri
C virtutem,



Virtutem, & nervorum vim sentiendi, è cerebro deferentium:
lesam, & malè affectam esse. Quis vero nostrum dubitat,
leso cerebro, sensum communem & phantasiam etiam pertur-
bationes quasdam persentiscere? Et si mentem hic accipias,
quid quæso, aliud erit, mentem ægrotare, quam vim ejus per-
turbari atque obtundi, quo minus munere suo, ut par erat, per-
fungi possit? Fallitur enim qui animæ ipsi, quod substantiam
ejus spectat, labis quid accedere statuit, quod summus Aristo-
teles, ὄντως, inquit, ἐοικε πρὸς τὴν ψυχὴν τῶν ζῴων ὡς τὸ αὐτὸν πρὸς τὸν οὐρανόν, pro-
nuntiavit. Et, si maximè Vallesius, tum animantia sentia-
re contendat, ubi mens attenda est, & contra. Quid quæso
obtinebit? si de hominibus oppositio ea accipiat, anima, &
mens ejus notatur: si de brutis, ejus significatur anima. Quis
non videt differentiam attentionis hic esse, quæ ipsa anima-
rum discrimen apertissimum importat? Quod si brutorum
intellectum per mentem accipit, petitionem principii commit-
ti, qui vis, qui non planè in Philosophia puer est, animadvertit.
Eat nunc Vallisius cum gregalibus suis, & num conceptæ sen-
tentia valedicere velint, deliberent.

31
Et ut, quod sentio, pace tamen vestra, dicam, quid scri-
bat: ipse ignorat. Et, perinde ut Architecti quidam, quod
una manu ædificarunt, altera destruunt, sic quod jam affirmat,
p. 430. ex templo negare non erubescit. En nunc insaniam brutis
tribuit, cum sumis ebrietate, canes rabie, quæ Maniæ species
est, corripiantur. Quod si delirant, quid obstat, quo minus ra-
tiocinentur, cum rationis læsio delirium definiatur? Iudica
quid dicas Vallesi, in consequentibus, quod affirmatum cupie-
bat,

Hab, ipse negare non dubitat. Habent bruta quandam rationis p. 433.
cinandi vim, secundum quam possunt benè & malè operari,
atque adeo delirare, longè autem abest, ut quia delirare possunt,
rectè colligas habere mentem humanæ similem. Nam nec
homines quidem delirant, secundum eam mentem, quæ illos se-
parat à brutis, sed secundum internos sensus, quos cum illis
communes habent. Quid hoc aliud est, quam proprio se gladio
jugulare?

Nec est ut de Prudentia, quæ in iis elucet, multum decla-
mitet, cum omnia isthæc κατὰ ὁμοιότητα dicantur, cum umbra
quædam ejus appareat. Perpendite naturam & conditionem
Prudentiæ. Hæc certè habituum in numero habetur, & ta-
lis est, quo mediæ ad finem certum ducentiæ, eligimus, quod
ipsum haud alia ratione, quam cognito fine, & mediis ad finis
consecutionem ordinandis, fieri consuevit. Pensitet vestrum
aliquis, an bruta finem præcognoscere soleant? consideret
an mediæ, quæ ad finem consequendum faciunt, ordinent?
Nihil hic talium occurrit, sed naturali quodam naturæ in-
stinctu, mediæ ad finem ducentiæ arripiunt, licet nec in finis
præcognitione, vel mediæ ordinatione occupata esse videa-
mus.

Sed dimittamus Vallesium, & quæ Valla in cerebri sui offi-
cina cuderit argumenta, delibemus. Eligere bruta adulta, quæ
è re sua sunt, inquit. Sed quid Grammaticus, qui fines
propriis transcendit, Toletus loquitur, obtinebit? Nihil.

F.
Vallæ pro-
ratione
brutorum
argumeta.

Lib. 3. de
Anim. cap.
3. quæst. 7.
L. 2. Phys.
sex. 59.
Picol. gra.
2. cap. 26.

Neque ego electionem brutis denegare contendo, cum summum Aristotelem jumentis eandem attribuisse cognitum habeam. Et videmus catellos nostros, auro relicto, panem eligere, non ex vi quadam rationis insita, sed solo sensuum judicio, & imaginationis, conferente instinctu quodam naturæ. Quis vero præelectionem iisdem tribuet, quæ in rationali natura locum obtinet, & quæ consultationem conjunctam nunquam non habet? Nemo arbitror, nisi hoc Valla cum suis manipularibus expeditum reddere velit.

Nec quicquam curamus illud, quod non minus ea anima prædita esse, ac hominum genus dicitur. Quæ enim animarum nostrarum cum brutis similitudo? quæ affinitas? Anima nostra Creatoris sui imaginem refert: quis hoc de brutorum animabus enunciabit? Anima nostra, ubi corporis domicilium relinquit, non interit, sed ad beatas sedes evolat, & subsistentiam suam habet, nec unquam moritur, uti Theologi & Philosophi luculentissime attestantur: sed quo jumentorum animæ deferuntur? Scitis vos ipsi, me tacente, simul ac jugulantur, in auras evanescere. Triumphet Valla lepidò hoc suo argumento.

Vogel. in
Thesau.
loc. de
Cruc. pag.
987.
Tolet. lib.
3. de Ani.
c. 5. quæst.
15.

Colleg.
Conimbr.
in Tract.
de Anim.
separata.


Sed forsitan firmiora sunt reliqua? Talia nimirum, quæ examinis rigorem ferre non possunt. Bruta sunt animalia, uti & nos. Ergò animalia ratione prædita, appellentur. O egregiam ratiocinationem! Imò vel Tyro, Logicis præceptis imbutus, consequentiæ vim risu & explosione dignissimam esse agnoscit. Animalia sumus, quis dubitat? sed quod perfectiora multò ac illa, dictæ sententiæ Patronus, agnoscere non potuit.

Taceo

Taceo nunc, quod multo proferat, quæ tum, ubi Græci Calendas celebraturi sunt, probata reddet. Bestiis δὲ ἀλόγων nomen obtigisse, quoniam vitam sermonis expertem agunt, docere non erubuit. Quod si dicere, affirmationis & probationis vim obtineret, nã egregios sese pars aduersa præstaret viros. Sed ubi dictorum rationes? quæ fundamenta? En qui dare potuisset, nunquam prodiit. forsitan etiam qui tam felicitis ingenii sit, ut tutelam istorum suscipiat, nunquam inuenietur.

Cum ergo, Auditores Optimi, manifesta absurditate hæc sententia laboret, & non solum in Theologorum, Philosophorum, & Iureconsultorum scholis male audiat, sed & communi hominum sensu explodatur, & irrideatur, Rationem solis hominibus attribuendam sentiamus: hinc præstantiam nostram agnoscamus, & largitori ejusdem, quas possumus, gratias persolvamus.

DIXI,


HUMANITATE DOCTRINA.
QUE CONSPICVO IVVENI, DN. AMBRO-
SIO GERTNERO, Silesio, σωτήροφφ
quondam suo & amico.

Π ἴμπλατο ἢ κραδίη ποτέ ἀμφιμέλαινα περικλῶς
 λέξαιτ' ὀμνέσθ', τ' ὅσσε δ' εἶοικε πυρί.
 τίρ δ' ἀπὸ τ' σώματ' ὀ γλυκιστὴν βέερ, Ἀμβρόσι, ἀυδ' ἢ
 κάλλισ' ἀμβρόσιον τὸν δε λέγοντι λόγον.
 χαῖρ' οὐρ' οὐρανόθεν β' ὅτ' ἀπαντα μὲν ἀγλαὰ δ' ἄρα
 ὄ' ἔρχεται, ἢ δ' ὅτι σ' πατρίδ' ὀ ἐσὶ κλέσθ'.

M. Georgius Zeæmannus,
 Hornbacensis.

E Xercere diu dicendo saepeq; sese,
 AMBROSI, vires ex polit ingenij.
 Hoc cum tu facias, facis id, non inficianda
 Materies quondam quod tibi laudis erit.
 Scilicet in templis ut possis atq; Lyceis
 Dogmata doctiloqua voce sonare Dei.

M. Christophorus Zeæmannus,
 Palatinus.

Pietate




PIETATE ET ERVDI-
TIONE ORNATISSIMO VIRO
IUVENI, Dn. AMBROSIO GERT-
nero, Contubernali suo semper
dilecto:



AMBROSI dilecte mihi, ne turpis egestas
Te releget castris dulcibus Aonidum.
Quin confide Deo, mandato munere sumo
Sedulus officij debita solve tui. (gens,
Perge tuis studijs, quantum datur. Iple IEHOVA
Successus latus (tu modò crede) dabit.
Iple tuis studijs veros dignosque Patronos
Ostendet: Nec te deseruisse potest.
Iam videor claros mihi conspexisse Patronos,
Qui properant studijs tubdere fulcra tuis,
Tu modò tu expectes illos: jam jam accelerabunt:
Iamque tuo angori, crede, leuamen erit.

Matthæus Closius Vratisl.





ORATIO SEXTA:
 DE RATIONE;
 NULLA SO
 MINIBVS, AN
 ETIAM BRVTIS ANI
 MIBVS ATTRIBV
 ENDA SIT.
Quam,
 consensu & permissione Facul
 tatis Philosophicae,
 in Collegio Declamatorio,
 LTHASARI OSTEN,
 Vratisl. Siles.
Habebat
 OSIVS GERTNERVS, Vratisl.
 die 27. Februarij, stylo veteri.
 WITEBERGÆ,
 M. Georgij Mulleri,
 ANNO M. D.C.

II f
539

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHEC
PONICKAVIA

(x2000397)

